Pennen. Iurisdictionis.

Stantibus &c.

D V B I A.

I. *An* Episcopo *Pennen. tamquam Sedis Apostolicæ Delegato priuatiuè quoad Vicarium, seù Conseruatorem Monasterij* Sancti *Ioannis à Sacra Religione* Hierosolymitana, *siuè eius Magno Priore deputatum spectet licentiæ concessio volentibus ad Crates alloqui Moniales.*

II. *An etiam volentibus celebrare in* Ecclesia *Monasterij.*

III. *An ità quoque priuatiuè ob ingressum in Clausuram Medicorum, aliorumque inseruientium.*

IV. *An, & quomodo* Episcopus, *vt supra* Delegatus *valeat se ingerere circà ingressum Puellarum* Educandarum, *& profiteri volentium.*

V. *An priuatiuè ad ipsum Episcopum, vt suprà Delegatum, pertineat exploratio voluntatis circà Professionem.*

VI. *An Confessarius Ordinarius, & Concionator debeant prius ab eodem* Episcopo *approbari.*

VII. *An etiam alij inseruientes.*

VIII. *An electio Confessarij extraordinarij competat Vicario, an potiùs* Episcopo, *siuè sola approbatio.*

IX. *An interuenire valeat electioni Priorissæ, & quatenùs affirmatiuè, quomodò debeat interuenire, & an substituere possit proprium Vicarium.*

X. *An eidem Episcopo notificari debeat præuentiuè tempus electionis.*

XI. *An, & quomodò possit se ingerere circà redditionem rationis Priorissæ.*

XII. *An præfatus Vicarius, seù Conseruator, & alij Ministri inseruientes eidem Monasterio subsint Iurisdictioni* Episcopi, *tamquam, vt supra Delegati in concernentibus Clausuram.*

Eme, & Rme Dne. IN Ciuitate Pennen. ab antiquissimo tempore extat Monasterium Sanctimonialium sub Regula Sac. Religionis Hierosolymitanæ fundatum, eidemque Religioni, & pro ea Magno Priori Capuæ pro tempore, intrà cuius Prioratus limites prædictum Monasterium reperitur, immediatè subiectum, cum omnimoda dependentia ab eodem Magno Priore quoad regimen, & gubernium, tàm Spirituale, quàm Temporale, ac respectiuè cum plena exemptione à Iurisdictione Episcopi Pennen. iuxtà notissima Priuilegia à SS. Pontificibus Sac. Religioni Hierosolymitanæ indulta, & signantèr san.me. Pio IV., Pio V., Gregorio XIII., Sixto V., Gre-

gorio XIV., & Paulo V., quæ per extensum collecta habentur post volumen Statutorum eiusdem Sac. Religionis, & quibus gaudere per viam comprehensionis etiam Moniales hoc militare institutum profitentes, ambigendum non venit, ex traditis per *Antonell. de regim. Eccles. lib. 4. cap. 1. num. 17.*, *Pellizzar. manual. regul. tomo 2. tract. 8. cap. 1. num. 72.*, *R.P. D. Petra ad Const. Apost. tomo 1. fol. 363. num. 45.*, & in terminis istarum Monialium, *Escanno propugnat. Relig. Hierosol. disc. 14. cap. 3. num. 19.*

In sequelam huiusmodi plenariæ Iurisdictionis penès Magnum Priorem Capuæ residentis, consueuit iste Monasterium prædictum, eique annexam Ecclesiam, vel per se, vel per Locumtenentem visitare, & iuxtà opportunitatem decernere ea, quæ ad earumdem Monialium correctionem, & Regularis Instituti Obseruantiam magis conducere visa fuerunt, absque eo, quod competentia talis Iurisdictionis, ac exercitium prædictorum actuum impugnatum vnquam fuerit ab Episcopis Pennen., aut contrà illud vllo modo reclamatum; Modernus autem D. Magnus Prior Capuæ timens, ne eius absentia à loco Monasterij recto illius regimini præiudicium aliquod inferre posset, suum Vicarium, iuxtà facultates Sac. Religionis Hierosolymitanæ deputauit, qui proprias vices suppleret, & maiori vigilantia in Spiritualem, ac Temporalem eiusdem Monasterij profectum incumberet; Hanc fortasè deputationem tum ægreferens modernus Reuerendissimus Episcopus Pennen. tùm etiam propriæ Iurisdictionis fines latiùs extendere satagens, plures excitauit prætensiones, quibus auctoritate Sac. Religionis, eiusque Magni Prioris totaliter sublata, atque depressa, priuatiuum Monasterij regimen, atque gubernium sub prædio Apostolicæ Delegationis sibi ipsi vindicare nititur.

Itaque cum congruum non sit Regularibus, alijsque personis exemptis, exemptionis Priuilegio non singulis personis, sed vniuerso Ordini à S. Sede concesso renunciare, vel illius vulnerationem quoquo modo permittere, vt notat *Pignatell. consult. 120. tom. 8.*, & *cons. 107. num. 2. tom. 10. Pellizzar. manual. regular. tom. 2. tract. 8. cap. 6. num. 85.* plenè *Capon. discept. 184. num. 7.* Pro opportuna defensione iurium eiusdem Sac. Religionis concordata fuere præinserta Dubia, quæ fauore D. Magni Prioris Capuæ Principalis mei resoluenda videntur, vt supplicatur.

Et quidem ante singulorum Dubiorum discussionem opportunè prænotandum videtur, Monasteria Monialium in triplici statu considerari posse; Aliæ enim sunt immediatè subiectæ locorum Episcopis, tamquã suis Ordinarijs; Aliæ sunt exemptæ ab Episcoporum Iurisdictione, & immediatam subiectionem habent, vel Sedi Apostolicæ, vel Regularibus. De primi autem generis Monialibus, prout etiam de alijs Sedi Apostolicæ subiectis dubium non cadit, Episcopos omnimoda super illas Iurisdictione potiri, in primis quidem

dem auctoritate Ordinaria, in secundis autem auctoritate delegata; Quo verò ad Moniales tertij generis, quæ immediatè, & plenè subiectæ sunt Regularium gubernio, longè diuersimodè res se habet, nec indefinita illa Apostolicæ Delegatioais auctoritas, quæ principalitèr Episcopis collata fuit pro regendis Monasterijs Sedi Apostolicæ subiectis, locum habere videtur in Monasterijs pleno iure subiectis Regularium Iurisdictioni, potissimum quando Superior Regularis non simplex habet spirituale regimen pro obseruantia Regulæ, siuè Instituti, vt obseruat *Card.de Luc. de regul.disc.*1.*num.*133., sed Ordinarij iura representat cum qualitate Territorij, quod constitui, & componi intelligitur ex personis subiectis, & ex Monasterijs, in quibus illę degunt, quamquam hæc intrà limites alienæ Diœcesis sitâ sint, vt latè explicat *Rotà in decis.*373. *part.*11. *recent.*, & conferunt deducta per *Card.de Luca de iurisdict.disc.*10. *sub num.*9., *&* *disc.*15. *num.*2.*Pignat.cons.*30.*nu.*14.*&* 17. *tom.*10.

Talis autem procul dubio est potestas, & Iurisdictio Sac. Religionis Hierosolymitanæ, eiusque Priorum, qui intrà limites suorum Prioratuum, & supra personas sibi subiectas, ac in illo existentes, Iurisdictione quasi Episcopali potiuntur, & pro veris Ordinarijs habentur, vt ex Apostolicis Constitutionibus, comprobant *Pignattell.consult. Can.*30. *num.*1., *&* 14., vbi etiam de Vicarijs ipsorum Priorum *tomo* 10. E*scanno propugn. Relig. Hierosol. discept.*14. *cap.*1. *num.*10. *P.Mendo de Ordin. Milit. disqu.*14. *quæst.*5. *sub num.*60.*in fin.*, & melius *Card. de Luc. Miscell. disc.*1.*sub num.*78. *vers.Cum etenim, & disc.*13. *sub num.*9. *Rot. decis.*390.*à num.*7. *ad* 10., *& decis.*391. *num.*1.*par.*13.*rec.*, *& in Toletana Iurisdictionis super Tribunali* 17. *Iunij* 1689. §.*Et fanè, & seqq.*, *& in eius confirmatoria* 16. *Iunij* 1690. §. *Constitit, & seq. coram Reuerendissimo* D.Mo*lines*, quæ habentur inter recollectas ad ornatum, *Card.de* Luc.*super mat.de iurisdict.decis.*14., *&* 14.

Quod etiam à S.Congregatione Concilij nouissimè comprobatum fuisse manifestè dignoscitur, dum Causam restitutionis in integrum, & cognitionem nullitatis Professionis propositæ à Moniali Ordinis Hierosolymitani, non commisit Episcopo Meliten. in cuius Diœcesi Monasterium situm est, sed solùm, & priuatiuè Eminentissimo Magno Magistro, tamquam ordinariam iurisdictionem habenti in præfatum Monasterium, cumque Episcopus reclamasset aduersus sententiam ab eodem Magno Magistro in antedicta Causa latam, Sacra Congregatio instantiam Episcopi reie-

cit, & sententiæ validitatem canonizauit sub die 8. Augusti 1705.

Constito autem, Moniales huius Ordinis Hierosolymitani subiectas esse Iurisdictioni Priorum intrà, quorum Prioratuum limites Monasteria existunt, & quidem non per modum simplicis subiectionis, sed per modum subiectionis totalis, & absolutæ, tamquam vero, & proprio Ordinario; Consequens est, quod tàm Sacri Canones, quàm Decreta Sacri Concilij Tridentini, nec non Apostolicæ Constitutiones, quæ loquuntur de Ordinarijs, intelligi, & explicari debeant de Superioribus Religionis Hierosolymitanæ, quibus, vt dictum est, Ordinarij Iura competunt, vt aduertit generalitèr *Archid. in cap. licèt Canon. num. 6. in verb. Ordinarius de elect. in sexto, Fagnan. in cap. cum olim num. 8., & 9.*, vbi benè *de præscript. Card. de* Luca *de iurisdict. disc. 103. num. 4., & in annot. ad concil. disc. 5. nu. 21.*, & in nostris terminis *Pignattell. consult. 30. num. 1. 3., & 4. tom. 10.*

Itaùt quando inferiores Prælati habent Iurisdictionem quasi Episcopalem, tunc locorum Ordinarijs nec etiam competat exercitium Iurisdictionis delegatæ iuxtà notata per *Pignattell. consult. 26. num. 19. tom. 2.*, & in nostris terminis *Capon. discep. 327. num. 25. 26., & 28.*

Hinc etiam sequitur, quod Constitutiones Apostolicæ Iurisdictionem in aliquibus casibus tribuentes Episcopis super Moniales, aliasque personas Sac. Religioni Hierosolymitanæ subiectas non ità intelligendæ veniunt, vt Iurisdictionem à Superiore Religionis in prædictis casibus adimant, eamque totalitèr; ac priuatiuè in eosdem Episcopos transferant, sed huiusmodi Iurisdictio à Sede Apostolica ijs delegata, censetur semper concessa cumulatiuè cum Superiore Regulari, cui eadem Iurisdictio iure Ordinario antea competebat, non obstante prægnantia verborum exprimentium delegationem omnimodæ, ac plenæ Iurisdictionis, vt ex pluribus auctoritatibus, & rationibus statuit pro regula *Fagnan. in cap. quanto à num. 26. ad num. 42. de offic. ordin.*

Ea nimium conuincenti ratione, quod hic non agitur de Iurisdictione Episcopi concessa fauore eorumdem Episcoporum, in quibus terminis dubitari posset de priuatiua illius collatione, sed agitur de Iurisdictione tributa ratione certæ causæ, nempè, vt Sanctimonialium clausura, ac Regularis Disciplina, quo exactiùs fieri potest, obseruetur; Hic autem finis non infert extinctionem Ordinariæ Iurisdictionis in Superioribus Regularibus cum totali translatione in

in locorum Episcopos, sed imò cum omni rationabilitate importat, & postulat cumulatiuam Iurisdictionem inter Ordinarium, & Superiores Regulares, cum clausuræ custodia vnicè intenta per delegationem Episcoporum, pinguiùs haberi, & adimpleri valeat, si simul cum Ordinario etiam Superiores Regulares in eamdem Curam proprium officium, & vigilantiam conferant, vt propterea talem credendum sit fuisse mentem Pontificis concedentis, quæ in hac materia cumulatiuæ, vel priuatiuæ Iurisdictionis in primis spectanda est, vt monet *Felin. in cap. Pastoralis num.2. in prima limit. de off. ordin. Fagnan. loco supra citato num.32. & 33.*

Primum: An Episcopus Pennen. tamquam Sedis Apostolicæ Delegatus priuatiuè quoad Vicarium, seù Conseruatorem Monasterij S. Ioannis à Sac. Religione Hierosolymitana, seù eius Magno Priore deputatum, spectet licentiæ concessio, volentibus ad Crates alloqui Moniales.

Igitur quod attinet ad *primum* ex propositis dubijs respiciens concessionem licentiæ pro accessu ad Monasterium Ordinis Hierosolymitani dicendum videtur, hoc spectare priuatiuè ad Magnum Priorem Capuæ, eiusque Vicarium, tamquam vnicum Superiorem prædicti Monasterij, & Iuribus Ordinarij priuatiuè potientem, vt in specie de Monasterijs Monialium Ordinis Militaris firmat *P. Mendo de Ord. Milit. disq.14. quæst.7. §.3. num.86.*

Absque eo quod obicem facere possit notissima Constitutio Gregorij XV., quæ incipit = *Inscrutabili* = & quæ habetur impressa apud eiusdem Bullæ extensorem *Fagnan. in cap. cum Capella post num. 30. de Priuileg., & in calce tom. 2. variar. elucubr. Pax Iordan.*, vbi specialiter circa clausuram Monialium etiam Regularibus subiectarum, locorum Episcopis, tamquam Sedis Apostolicæ delegatis Iurisdictio confertur; Siquidem memorata Constitutio intelligenda videtur procedere respectu illarum Monialium, quæ Regularibus subiectæ sint pro obseruantia Instituti, & per modum Religiosæ subiectionis qualem omnes Religiosi, vti membra, habent respectu sui Superioris tamquam Capitis, non autem de illis, quæ Superiori Regulari subiectæ sunt, vtpotè vero, & proprio Ordinario, quasi Episcopalem Iurisdictionem ad hunc effectum habenti, vt in indiuiduo præcitatæ Constitutionis explicat *Rot. decis.373.num.27. & seqq. par.11. rec.*

Vel in omnem casum Ius concedendi licentias, de quibus agitur nunquam priuatiuè spectare poterit ad Episcopum Pennen., sed saltem cumulatiuè, itaut licentiæ accedendi ad Crates Monialium subscribantur, & ab Episcopo, & à Vicario Magni Prioris Capuæ, vt generalitèr de Monialibus Regularium Gubernio subiectis, decreta super hoc puncto tàm ab hac Sac.Congregatione, quàm ab illa Concilij emanata referentes, firmant *Pignattell. consult. 163. tom.1.*

tom.1. & consult.85. num.202. tom.6., & consult.41.to.10, Pax. Iordan. variar. elucubr. tom.2. lib.7.tit.12. num.41., & seqq., Antonell. de Regim. Eccles. lib.7, cap.5. num. 10. Pellizzar. manual. Regular. tom.2. tract.6. cap. 6. nu.32. Nicol. in flosc. verbo clausura sub num. 12., & in verbo Monialis num. 29. Passerin. in cap. periculoso num. 132., & 169. de stat. Regular. in 6. Monacell. formul. fori Eccles. tit.1. form.3. num.3., & tit.11. form.19. num. 7., & seqq. Lantusca Theatr. Regul. verbo Allocutio sub num.7., & in verbo Clausura num. 13. Mattheucc. Official. Curiæ Regular. tom.1. cap.5. num.18., & seqq., & cap.13. nu.1. Panimoll. dec.84. annot.3. num.50., & 90.

Et si fortè Reuerendissimus Episcopus prætensionem huiusmodi Iuris priuatiui fundet in consuetudine concedendi prædictas licentias absque cumulatiua subscriptione Superioris Regularis, manifestum erit, prætensionem prædictam non habere fomentum à Pontificijs Constitutionibus, sed vnicè fundari in mera consuetudine præscriptiua, vt in puncto obseruat *Gibalin. de clausur. disq. 1. cap. 4. §.3. sub num.6., Antonell. de Regim. Eccl. lib. 7. cap. 5. num. 10. Lantusca Theatr. Regular. verb. Clausura sub num. 13.*, proindeque eiusdem Episcopi onus erit concludenter probare huiusmodi consuetudinem cum requisitis veræ, & legitimæ præscriptionis, tamquam suæ intentionis fundamentum; Huic autem probationi semper obstabit, quod anteactis temporibus Magnus Prior Capuæ à Ciuitate Pennen. absens fuerit, nullumque ibi Vicarium à se deputatum retinuerit, qui easdem licentias simul cum Episcopo subscribere posset, vt proindè impossibile reddatur præscriptionem talis priuatiuæ concessionis iustificare, cuius essentiale requisitum est, tales actus exercitos fuisse in concursu alterius, qui eosdem actus exercere posset, cum contra non valentem agere, præscriptio non currat, ad *Text. in l.1. C. de annal. Eccl. Rot. dec.330. n.17. par.17. & dec.572. num.3. par.19. tom.2. rec.*

Crescitque etiam impossibilitas prædictæ probationis, quià cum agatur de inducenda possessione Iurisdictionis aduersus Priuilegia vniuerso Ordini concessa, nec etiam satis fuisset scientia, & patientia mediatorum Superiorum Religionis, sed necessariò probari deberet scientia, & patientia ipsius Eminentissimi Magni Magistri, aliorumque Maiorum Officialium Religionis integrum illius Corpus repræsentantium, vt benè obseruat *Pignattell. consult. 162. num.23. tom.1.*

Alioquin, cum Ius istud, siue Priuilegium sit Vniuersitatis,

vt

vt iam dixi, per negligentiam, & acquiescentiam particularium Priorum non potuit illi auferri huiusmodi prærogatiua, quàm quotiès voluerit vindicare, liberè poterit, tàm in possessorio, quàm in petitorio, vt latè probat *Rot. in Maioricen. Indultorum* 11. *Aprilis* 1639. *coram Merlin. impressa penès Dian. par. 6. tract.8. fol. mihi* 210. quam refert, & sequitur *Reuerendissimus Zaul. ad statut. Fauen. in obseru. ad prohæm. num.*47., *& seq.*, *Monacell. Formular. fori Eccles. tom.*1. *tit.*11. *formul.*14. *num.*5.

Non omittendo etiam præ oculis EE. PP. ponere, quod cum Apostolicæ Constitutiones, Priuilegia Sac. Religionis Hierosolymitanæ, aut concedentes, aut confirmantes, contineant, & clausulam *sublata*, & decretum *irritans*, exindè qualiscumque contraria obseruantia, aut præscriptio, quæ fortè pro parte Reuerendissimi Episcopi allegari posset, in radice euersa, & infecta remanet, vt generalibus omissis, in hisce indiuidualibus terminis obseruat *Pignattell. consil.*30. *num.*12. *tom.*10., Quæ etiam circumstantia ponderationem meretur ad reijciendas ex defectu applicabilitatis auctoritates, & resolutiones, quæ exaduerso super hoc puncto allegari possent, cum non descendant in specie ad Monasteria huius Sac. Religionis.

Et denique ad omne peius consuetudo obseruata de tempore, quo, vt dixi, nullus Religionis Superior præsens aderat in Ciuitate Pennen., suffragari non posset, extrà præcisos terminos huiusmodi casus, nec extendi ad casum, & tempus modernum, cum præsens in eadem Ciuitate degit Vicarius specialitèr à Magno Priore deputatus; Est enim notissimum principium, consuetudinem tantum habere de potentia, quantum de actu, & nullius virtutis, ac roboris remanere extrà sphæram illius præcisi casus, in cuius terminis illa introducta, & seruata ostenditur, *Palma Nep. alleg.*287. *num.*25., *& alleg.*289. *num.*4. *R. P. D. Ansald. decis.*50. *num.*38., *& decis.* 78. *num.* 45., *Rot. decis.* 124. *num.*37., *&* 39. *post Constant. ad stat. Vrb.*, *& in Giennen. Iuris votandi* 27. *Ianuarij* 1704. §. *Quæ adeò coram R. P. D. Scotto*.

Ad *secundum Dubium* respondendum credimus, licentiam pro celebrare volentibus in Ecclesia Monasterij priuatiuè spectare ad Superiorem Regularem, cum Missæ celebratio nullatenus, aut nonnisi remotè, pertinere videatur ad clausuram, ad cuius curam, & custodiam respectu Episcopi expressè restricta legitur Sedis Apostolicæ delegatio; vt in specie de huiusmodi licentijs dandis à Prælato Regulari tradit *P. Mendo de Ordin. Milit. disq.* 14. *quæst.* 4. *sub num.*48.

II. An etiam volentibus celebrare in Ecclesia Monasterij.

num.48., *Capon. discept*.184. *num*.22., vel saltem spectare debebit cumulatiuè, prout dictum est de licentia alloquendi Moniales; Si enim illius concessio priuatiuè non competit Episcopo, vbi agitur de materia directò, & principalitèr concernente formalém clausuram, qualis est accessio ad Crates, & allocutio, vtique multò minùs competere poterit in materia tantò magis remota, qualis est celebratio Missæ in Ecclesia, vt de se patet,

III. An ita quoque priuatiuè ob ingressum in Clausuram Medicorum, aliorumque inseruientium.

Succedit *tertium Dubium*, quod pariter resoluendum venit contra Reuerendissimum Episcopum ius priuatiuum prætendentem in concessione licentiæ pro ingressu intrà clausuram Medicorum, aliorumque inseruientium, quoniam hoc ius priuatiuum, vel potiùs competit Superiori Regulari, excluso totalitèr Episcopo, vt pluribus adductis firmat *Ventrigl. in prax. tom*.1. *annot*.5. §. 2. *num*. 17., & *num*. 39. *vers. hactenus*, & iuxtà decretum Sac. Congregationis Concilij relat. per *Tamburrin. de Iur. Abbat. disp*.24. *quæst*.6. *num*.6. per hæc verba = *Censuit Sac. Congregatio licentias ingrediendi intrà septa Monialium ex vera tantum necessitate concedendas quoad Monasteria, Regularibus subiecta, pertinere tantùm ad ipsos Superiores Regulares* = Vel in omnem casum vtrique competet, nempè, & Episcopo, & Superiori Regulari, itaut sufficiat licentia ab vno ex ipsis concessa, quemadmodum disertè statuit *Sac. Conc. Trid. sess*.25. *cap*. 5. *de Regular*. ibi = *Ingredi autem intra septa Monasterij nemini liceat cuiuscumque generis, sexus, vel ætatis fuerit sine Episcopi, vel Superioris licentia in scriptis obtenta* = Prout hanc Sac. Concilij dispositionem expendens notat *Ventrigl. in praxi d. tom*. 1. *annot*. 5. §. 2. *num*. 16., & *seq*. *Matthæucc. in suo Officiali Curiæ Regul. tom*.1. *cap*.13. *num*.26.

Vel denique cumulatiuè, itaut prædictæ licentiæ tàm ab Episcopo, quàm à Magno Priore, eiusue Vicario subscribendæ sint, vt ex Epistola Sac. Congregationis Episcoporum, & Regularium ad Archiepiscopum Mediolanen. scripta, necnon ex alijs decretis eiusdem Sac. Congregationis per extensum relatis apud *Pignattell. consult. canon*. 41. *tom*.10., *Antonell. de Regim. Eccl. lib*. 7. *cap*. 5. *num*. 10. *Monacell. Formular. fori Eccles. tit*.1. *form*.3. *num*. 3., & *tit*. 11. *form*. 19. *num*. 7. & *seqq*. *cum alijs suprà allegat*. quoad licentiam pro allocutione,

IV. An, & quomodo Episcopus, vt supra delegatus valeat, se in.

Quoad *quartum Dubium* planum videtur Episcopum Pennen. nullo modo se ingerere posse circà ingressum, & acceptationem Puellarum educandarum, & profiteri volentium in hoc Monasterio Ordinis Hierosolymitani, cum hoc respiciat

-ciat obseruantiam eorum, quæ præscribuntur in Regulis, & Constitutionibus eiusdem Sac. Religionis quoad admissionem, & receptionem Nouitiorum, quarum Constitutionum executio incumbit Magno Priori de ijs informato; Quod sine hæsitatione recipi debet respectu Monialium prædicti Ordinis talem, ac tantam subiectionem habentibus ergà Superiorem Religionis, & respectiuè exemptionem ab Episcopo Diœcesano, & qua maiorem in Ecclesia Catholica, totoque genere Ecclesiarum, vel Personarum Regularium exemptionem non dari notat *Card. de Luca in annot. ad disc. 15. num. 2. de Iurisdict. editionis Venetæ.* Quando etiàm in terminis generalibus aliarum Monialium Regularibus simplicitèr subiectarum, licentià pro recipiendis Puellis in educationem petēda est dumtaxàt à Superiore Regulari, iuxtà Rescriptum Sac. Congregationis Concilij, apud *Quaranta Sum. Bullar. verbo Monasteria Monialium, Matthæuc. Official. Curiæ Regul. tom. 2. cap. 11. num. 6. Pellizzar. de Monialib. cap. 5. sect. 4. num. 178. Monacell. Formular. Fori Eccles. tom. 1. tit. 11. formul. 11. n. 16., Nicol. in Floscul. verbo Educandæ num.* 8. Et ad eumdem Superiorem Regularem priuatiuè spectat recipere Monialium suffragia ad effectum admittendi educandam in Monasterijs sibi subiectis, absque existentia Episcopi, vel eius Vicarij, aut alterius ab eo deputati, prout hæc Sac. Congregatio sub die 15. Septembris 1690. rescripsit Episcopo Cremonen. in hęc verba= *Riferito in Sac. Congregatione quanto V. S. hà rappresentato con sua lettera in ordine al Dubio proposto dal Priore del Conuento dell'Ordine de' Predicatori di Sancino di cotesta Diocesi, se nell'attestatione dell' Educande nel Monastero delle Monache di S. Paolo di detto Luogo soggetto al suo Ordine possa interuenire alla ballottatione, che si fà dalle Monache il suo Vicario Generale, questi Eminentiss. miei Signori hanno risoluto, che non habbia potuto, nè possa interuenirui* = vt refert *Matthæucc. loco mox citato,* eiusdemque Rescripti meminit *Monacell. formular. Fori Eccles. loco pæritèr supra alleg. num. 16.*

gerere circa ingressum Puellarum educandarum, & profiteri volentium.

A fortiori autèm non potterit Episcopus se ingerere circà admissionem profiteri volentium, cum ille nullum habere Ius possit incorporandi aliquem Religioni exemptæ, vt in puncto notat *Capon. discept. 184. num. 12. in fine.*

Ad quintum remittitur sapientissimo huius Sacræ Congregationis Oraculo, an Episcopo tanquàm Sedis Apostolicæ delegato tribuenda sit facultas explorandi voluntatem Nouitiæ ad Professiouem admittendæ in hoc Monasterio.

V. An priuatiuè ad ipsum Episcopum, vt supra Delegatum pertineat explora-

A 5 Qua-

tio voluntatis circa Professionem.

Quatenùs tamèn in affirmatiuam sententiam EE. PP. inclinent, nullatenùs videtur talis illi facultas concedi posse priuatiuè, prout modernus Reuerendissimus Episcopus Pennen. prætendit, sed ad summum cumulatiuè, adeoùt Ius faciendi talem explorationem competat etiam Magno Priori, vel eius Vicario. Quod nedùm efficacitèr suadetur ex præmissis, quia si in directo concernentibus Clausuram, de qua expresè loquitur, Constitutio Gregorij XV. delegatam hanc Iurisdictionem Episcopis tribuens, adhùc non priuatiuum Ius eisdem Episcopis competit, sed solùm cumulatiuum cum Superioribus Ordinis, multò minùs illud competere valet prænominatis Episcopis circà examen, siuè explorationem voluntatis Nouitiæ profiteri volentis, de qua Bulla in littera non loquitur, & quæ solùm interpretatiuè ad materiam Clausuræ trahitur, præsertìm vrgente Regula, quod nisi littera occidat, adeòut expressis verbis talis priuatiua Iurisdictio in exemptos Episcopis tribuatur, concessio nunquàm priuatiuè facta censeatur, sed cumulatiuè, præseruata scilicèt Iurisdictione etiam Superiorum Regularium, vt prætèr supra allegatos tradit *Card. de Luc. de Regular. disc. 1. num. 138. vers. super his autem.*

Verùm etiàm in subiecta materia fortiùs hoc suadet ratio Regularis Disciplinæ, quia an Puella sit apta, & deposita ad obseruantiam Institutorum, quæ à Sac. Religione Hierosolymitana præscribuntur, multò melius dignoscere, & super ijs Nouitiam instructam reddere poterit Magnus Prior, seù eius Vicarius de illis ex officio, & ex propria experientia informatus, quàm Episcopus ab eadem Religione extraneus, Quocirca in omnem casum ineuitabile videtur rescribere præfatam explorationem cumulatiuè spectare ad Reuerendissimum Episcopum, & ad D. Magnum Priorem, vel eius Vicarium, nè alioquin ea, quæ à SS. Pontificibus in augumentum Regularis Disciplinæ sapientissimè sunt constituta interpretari, & detorqueri contingat in detrimentum, & diminutionem contra Regulam *Text. in leg. Nulla ff. de legib., & l. Quod fauore. Cod. eod. tit. Oldrad. cons. 53. num. 131. vers. Et hoc clarius, Valenzuel. consil. 69. num. 268., & seqq. Rot. decis. 403. num. 9. coram Priolo.*

Imò si Episcopus post hàbitam certiorationem Puellæ ad habitum, vel Professionem admittendę intrà 25. dies hoc examen perficere neglexerit, illis elapsis, non potest amplius in eo se ingerere, vt decisum referunt *Lezan. in Sum. Quæst. Regular. tom. 3. verbo Episcopus quoad Regu-*

lares

*lares num.*10. *Ricc. in praxi par.*4. *resol.* 198., *Antonell. de Regim. Eccles. lib.*7.*cap.*10. *num.*2. *in fin.*, *Barbos. de offic. & potest. Episcop. allegat.* 100. *num.*3. *in fin. par.* 3. *& in Sum. Apostol. Dec. collect.* 268. *num.*2. Proindequè post d. tempus voluntatis exploratio priuatiuè spectabat ad D. Magnum Priorem, eiusque Vicarium.

Super *sexto Dubio* parùm immorandum, quia non controuertitur Reuerendissimo Episcopo Ius approbandi, tàm Confessarium Ordinarium, quàm Concionatorem, dummodò tamen idem Reuerendissimus Episcopus tali approbatione contentus sit, nec in alienam Messem propriam falcem immittere præsumat arrogando sibi Ius etiam eligendi, & deputandi prædictos Confessarium, & Concionatorem, quod Ius priuatiuè spectat ad D. Magnum Priorem, eiusque Vicarium, vt clarissimè liquet ex memorata Bulla Gregorij XV; ex qua totum Ius propriæ delegationis Episcopus metiri, ac desumere potest, ibi = *Confessores verò, siuè Regulares, siuè Sæculares quomodocùmquè exempti, tàm Ordinarij, quàm extraordinarij ad Confessiones Monialium etiam Regularibus subiectarum audiendas nullatenùs deputari valeant, nisi priùs ab Episcopo Diœcesano idonei iudicentur, & approbationem, quæ gratis concedatur obtineant* = Ex quibus verbis manifesta resultat discretiua inter deputationem, & approbationem, quæ secunda dumtaxàt Episcopis conceditur; In idem etiàm collimitantibus subsequentibus verbis eiusdem Bullæ, vbi disponitur, licere Episcopis ex rationabili Causa Superiores Regulares admonere pro remotione prædictorũ Confessorum, & in solo casu negligentiæ eorumdem Superiorum, ad remotionem per se ipsos procedere: Vndè si Ius remouendi, regularitèr, & absolutè spectat ad Superiores Ordinis, indè datur intelligi ad eosdem etiàm spectare Ius deputandi, cum Ius instituendi, & destituendi siuè deputandi, & Ius remouendi sint inter se correlatiua, & ab eodem fonte, ac primordio potestatis deriuantia ad *Text. in cap. in Lateranensi* §.1.*&* 2.*de Præbend.C. verbum de pænit. distinct.*1.*Hostien. in cap. Postulàsti num.* 4. *de omicid. Innoc. in cap. Monasterium num.*3.*de stat. Monach. Fagnan. in cap. quanto nu.*45. *&* 46. *de translat. Episc.*

VI. An Confessarius Ordinarius, & Concionator debeat prius ab eodem Episcopo approbari.

Atque ità, tùm ex dispositione Bullæ, tùm ex decretis huius Sac. Congregationis tradunt; *Ventriglial. in praxi tom.*1. *annot.* 48. §. *vnico num.* 94. *Antonell. Regim. Eccles. lib.* 7. *cap.*12. *num.*10 *& seq. Lantusc. Theatr. Regul. verb. Confessarius n.*13. *Matthæucc. Official. Fori Regul. tom.*1. *cap.*15. *num.*2. *Barbos. Sum. Apostol. decis. collect.* 203. *num.* 16., *& seq.*

Ad

VII. An etiam alij Inseruientes. Ad septimum. Quæstio cadere non potest super deputatione quominùs hæc spectet ad D.Magnum Priorem eiusque Vicarium; cuius absoluto Regimini Monasterium subest; Dum enim ille potestatem habet in eo; quod magis est, nempè in deputatione Confessarij, & Concionatoris à fortiori dicendum est potestatem illi competere in eo, quod est minùs, nempè in deputatione Officialium, aliorumque Inseruientium Monasterio; Quadere difficultas solùm cadere potest in eo, an etiam pro illis necessaria sit Episcopi approbatio, *& negatiuè resoluendum videtur*, tùm quia non eadem militat ratio respectu Confessarij, & Concionatoris, quos ratione eorum Officij maximè decet spectatæ Virtutis, & probitatis esse, nè Sacrarnm Virginum Disciplina vllo modo labefactari contingat, quam respectu Inseruientium Monasterio longè minorem suspicionem, magisque remotum periculum admittit: Tùm etiam quia de huiusmodi Inseruientibus nulla legitur facta mentio in sæpecitata Bulla Gregoriana, quæ est vnica Regula commensurandæ Iurisdictionis in Episcopo super Monasterijs exemptis, in quibus ille nullam aliam potestatem arrogare potest, quàm in quantùm illi datur per specialem Apostolicam delegationem, vt optimè ponderat *Gibalin. de claus. dis q.1.cap.4.§.3.sub num.6.*

Adeòque exuberat huic Parti dicere, delegatio Apostolica de hoc non loquitur, cùm Iurisdictio D. Magni Prioris sit ordinaria, ac vniuersalis, quæ sempèr præseruata intelligitùr in tota sui latitudine, in omnibus ijs, in quibus illa suppressa, aut limitata expresè non probatur per specialem ejusdem Iurisdictionis translationem in Episcopos iure delegato factam, quæ juxtà notissima principia Delegationis, vtpote limitatio Regulæ per allegantem concludentèr probari debet, strictèque intrà suos limites intelligi, & cum minori præjudicio ejus, qui insistit in titulo Iurisdictionis ordinariæ, quàm sit possibile, vt monent *Gratian. discept.960.num.38.& 41.Pax Iordan.var.elucubr.tomo 3. lib.13.tit.6.num.48.& 59. Card.de Luca de Iudic.discurs.3. nu.25.& de Matr.disc.3.nu.11.& de Iurisdict. discurs.49. num.3.*

Maximè quià Pontificia Constitutio, de qua loquitur in iis, in quibus pro magis exacta Clausuræ custodia hanc specialem prouisionem necessariam duxit id clarè, & in littera expressit, quo circà in reliquis non expressis tutum præbetur motiuum Iudicandi Summum Pontificem considerasse satis esse consultum per Regimen, & Curam Superiorum Regularum

absque

absque necessitate adhibendi majorem hanc cautelam per delegationem Episcoporum.

Æquè facilis resolutionis est *octauum Dubium*; admittitur enim, ad Reuerendiss. Episcopum spectare approbationem, etiam Confessarij extraordinarij, prout eadem Bulla Gregoriana disponit, quo verò ad illius electionem, siuè deputationem recurrunt omnia superiùs notata supèr deputatione Confessarij Ordinarij, quàm priuatiuè competere Magno Priori, ejusque Vicario ostensum extitit; Et ad majorem prædictorum comprobationem addi etiàm potest auctoritas *Sacri Concilij Trid. sess.* 25. *cap.* 10. *de* Regular. quod sic habet = *Pratèr Ordinarium autem Confessorem, alius extraordinarius ab Episcopo, & alijs Superioribus bis, aut ter in anno offeratur* = Ex quibus verbis euidentèr assequitur oblationem, siuè deputationem Confessarij extraordinarij, non quidèm priuatiuè sempèr spectare ad Episcopum, sed in sensu distributiuo ad illum spectare in Monasterijs sibi, vel Sedi Apostolicæ subjectis, in alijs verò subjectis Regularum Gubernio, spectare ad Superiores Ordinis. VIII. *An electio Cõfessarij extraordinarij compe tat Vicario, an potiùs Episcopo, siuè sola approbatio.*

Absque eo quod aliquid circà hoc innouatum fuisse prætendi possit per Bullam Gregorij, quià per illam non demandatur Episcopis, nisi mera, & sola approbatio Confessarij tàm Ordinarij, quàm Extraordinarij, quæ distincta, & diuersa est à Deputatione; Atquè ita in specie, quod Episcopo non competat Confessarium Extraordinarium Monialibus Regularium Gubernio subjectis assignare, nisi quandò sint in hoc negligentes Superiores Religionis firmat *Bellet. disqu. Cleric. par.* 2. §. 5. *de pœnis Cleric. nu.* 9. *Monacell. Formular. Fori Eccles. tit.* 9. *form.* 4. *num.* 2.

Quoad nonum nostra Intentio non est excludere Reuerendiss. Episcopum, vel ejus Vicarium ab interuentu in electione Priorissæ simul cum D. Magno Priore Capuæ, ejusue Vicario, prout sancitum fuit in totiès memorata Bulla Gregoriana; Ne tamen idem Reuerendiss. Episcopus occasionem indè sumat majorem sibi arrogandi Iurisdictionem, quàm per Apostolicam Delegationem concessa illi fuerit, opportunum videtur ab hac Sacra Congregatione declarari, quod per talem interuentum, siuè præsidentiam in electione Priorissæ nulla eidem Episcopo communicatur Iurisdictio, aut Superioritas in electionem, vel Moniales eligentes, quæ totalitèr residet penès Superiorem Regularem, vt totidèm verbis tradit *Matthæuc. Offieial. Cur. Regul. tomo* 1: *cap*: 1. *sub num.* 15, ibi = *Illud præsidere Ordinario, non confert Iurisdictionem aliquam, & Superioritatem in electionem, vel Mo-* IX. *An interuenire valeat electioni Priorissæ, & quatenùs eis affirmatiuè, quomodò debeat interuenire, & an substituere possit proprium Vicarium.*

nia-

niales exemptas eligentes = *Passerin. de elect.cap.40.nu.17 in fine*, vbi quod præsidentia Episcopi non minuit auctoritatem Superioris Regularis, *Pignatell. consult. Canon.* 120. *num.1.tomo* 8:*Pasqualig.ad Laur.de Franc.de controu. inter Episc.& Regul.par.1.num.*652.

Itaqne non habet Episcopus facultatem præfigendi diem electionis, quià hoc spectat ad Superiorem Regularem, vt prosequitur *Passerin:loco cit. num.*20.*Rellizzar. de Monial. cap.*10.*num.*96.*circà fin.*

Non potest Moniales personalitèr audire ante actum electionis, easque interrogare in materia concernente ipsam electionem, prout hæc Sacra Congregatio sub die 4. Octobris 1638:rescripsit Episcopo Anconitano per hæc verba = *La facoltà del Vescouo nell'eleggersi vn' Abbadessa, ò Prioressa non passa più oltre, ebe l'interuenire, & assistere all'elettione, ò per se stesso, ò per interposta persona, come si raccoglie dalla Bolla di Gregorio XV. perche dunque il Prouinciale de' Minori Osseruanti di cotesta Prouincia della Marca hà rappresentato, che V. S. habbia pretensione di sentir, & ascoltare personalmente in materia elettiua le Monache d'vn di cotesti Monasteri soggetto al suo Ordine auanti l'atto dell' Elettione, che deuon fare dell'Abbadessa, hanno voluto questi Eminentissimi miei Signori, che io scriua à V. S. che ella in quest' affare si regoli colla dispositione, e tenore della medesima Bolla. Saranno ora le sue parti di non partirsi dalla formalità di quella* = *Apud Matthæucc.de Official.Cur.Regul. tomo* 1.*cap.*1.*sub num.*15. *Lantusc.Theatr. Regul.verb. Abbatissa num.*3

Paritèr non spectat ad Episcopum in actu electionis exquirere seù recipere Monialium suffragia, sed hoc priuatiuè spectat ad Superiorem Regularem, audiente tamen eodem Episcopo, vt ex declaratione Sacræ Congregationis Concilij sub die 10. Septembris 1650., quæ habetur penès *Lantusc: vbi suprà, num.*2.*Pignattell.d.consult.*120. *nu.*2.*tomo* 8., *Peyrin. de Priuil.Regul.tomo decr.*16., *Barbos.Apostol.decis.collect.*5 *num.*15. Proindèque nec etiàm ad electionem secum adducere Notarium, vel Cancellarium Curiæ Episcopalis, vtpotè qui est actus Iurisdictionis, vt ex alio decreto ejusdem Sacræ Congregationis in Neapolitana sub die 4.Maij 1675 quod refert *Matthæuc.d.tomo* 1. *cap.*1.*sub nu.*15. & consonant deducta per eumdem *Pignattell. dicta consultat.* 120. *num.primo*.

Et denique eidem Episcopo non competit Ius confirmandi Priorissam electam, quod Ius priuatiuè competit Superiori Regulari, hoc est D. Magno Priori, ejusque Vicario, *Card-*

de

de Luca ad Concil.Trid.discurs.37. num.15. Lantusc.Theat. Regul.verbo Abbatissa num.8. Atque ità Sacra Congregatio Conc.specialitèr consulta super Constitutione Gregor.XV. respondit ad quintum dubium, cujus resolutionis tenor per extensum habetur penès *Fagnan.in cap.Cappella post nu.30. de Priuil., Pax Iordan.var. elucubr.in calce tomo 2., Panimoll. decis.84: annot.3. num.67. & 81.* ejusque mentionem faciunt *Pignatell. dicta consult.120. num.1. in fine, Lezzana in Summ. quæst.* Regul. *tomo 3. verbo Abbatissa num.11., Peyrin.de Priuil.Regul.ad Constit.2.Greg.XV.in declaratione vers.Ad quintum Matthæucc.Official.*Cur.Regul.*d.tom.1. cap.1.num:18. & 19., Barbos: Sum: Apostolic. decis. Collect. num:21.*

Supèr *decimo Dubio*. Non est immorandum, cognoscitur enim congruentia fauore Reuerendissimi Episcopi militans, vt ipsi præuentiuè notificetur tempus futuræ electionis, ad euitandas tamen difficultates, quæ nimis de facili possent insurgere, supplicatur simul decerni prædictum Reuerendissimum Episcopum teneri, dum talis notificatio illi defertur, ad expresse declarandum, an per se, vel per ejus Vicarium interesse velit electioni, ad hoc, vt ille vsque ad notificatum tempus expectari possit, prout etiàm, quod si ille ad præstitutum tempus non aduenerit, possit sinè eo impunè procedi ad electionem, ex ijs, quæ in hoc proposito tradunt *Pignatell. d.consult.*120.*sub num.4:tomo 8:, Mattheucc. aliàs cit:cap.1. num.19.Ventrigl. in prax. tomo 1. annot.48. §.Vnico num.97., Autonell.de Regim.Eccles.lib.7.cap.4. num. 1. & 2.*

X. An eidem Episcopo notificari debeat præuentiuè tempus electionis.

Pro adæquata resolutione *vndecimi Dubij* animaduertendum est, aliud esse rationum redditionem exigere ab ipsa Monasterij Priorissa, ac illam exigendi ab Officialibus, alijsque exteris Administratoribus bonorum ejusdem Monasterij; Licet enim Bulla Gregoriana facultatem impertita fuerit Episcopis assistendi vna cum Superioribus Regularibus redditioni rationum singulis annis faciendæ ab exteris Administratoribus bonorum Monasterij, non tamen hujusmodi facultatem illis concessit quoad redditionem rationum faciendam ab ipsa Priorissa, vt colligitur ex contextu ejusdem Bullæ, quo circà strictè insistendo in proposito Dubio rescribendum videtur, Reuerendiss. Episcopum Pennen; nullatenùs se ingerere posse in tali rationum redditione, eique priuatiuè præesse debere D. Magnum Priorem Capuæ, vel ejus Vicarium, non enim agitur de materia, quæ ullo modo sit capax compræhendi sub custodia Clausuræ Episcopis Iure delegato commissa, sed de merè

XI. An, & quomodò possit se ingerere circà redditionem rationis Priorissæ.

tem-

temporali, circà quam nec etiàm in terminis Sacri Concil, Trident. indefinitè committentis Episcopis Gubernium Monasteriorum Sedi Apostolicæ immediatè subjectorum, vt in *cap.9. seff.25. de Regul.* tributa intelligitur aliquà Iurisdictio in concernentibus temporalia, vt decisum refert *Barbos.ibid:num.2.*

Propterea cum Apostolica delegatio expresse restricta sit, vt prænotatum est, ad redditionem rationum faciendam ab Officialibus, alijsque exteris Administratoribus Bonorum, extendi non debet ad casum diuersum respicientem administrationem ipsius Priorissæ, quæ cum sit totalitèr à Potestate Ordinarij exempta, eius negligentiam in officio supplere, aut corrigere non pertinet ad Episcopum, sed ad Superiorem Regularem, vt per *Text. in cap. sicut* ibi = *Nisi à Iurisdictione Tua exemptæ sint = de supplen. negl. Prelat. tradit Fagnan. in cap. Porrectum num. 29. de Regular.*, & de facto nunquam Episcopo redditam fuisse, patet ex *Summario Num. 1.*

Nec in contrarium attendi meretur resolutio Sacræ Congregationis Concilij de Anno 1669. exaduerso alleganda, in qua ad Instantiam Episcopi Pennen. tunc temporis rescriptum fuit Administratores huius Monasterij posse ab Episcopo compelli ad rationes ipsi reddendas.

In primis enìm animaduerti supplico ad narratiuam facti per eumdem Episcopum Sacræ Congregationi expositam, sub cuius fundamento prodijt resolutio, scilicèt, *quod Monasterium nullum haberet in Ciuitate*, *nec in Prouincia Superiorem ab ipsa Religione Deputatum*. At verò, vel placeat attendere priorem partem huius narratiuæ, & planum est, quod præmissum Decretum nullius roboris, àc Virtutis remanet extrà præcisum casum ibi connotatum non existentis alicuius Superioris in Ciuitate, ex traditis in specie per *Card. de Luca annotat. ad Conc. disc. 1. num.11., & disc.10. nu.3., & 5., Pignattell. consult.25. in fine tom.2.* Hic autem casus modò non contingit, stante deputatione Vicarij in loco Monasterij præsentis per Dominum Magnum Priorem Capuæ factam; Si verò attendatur subsequens pars expositionis, ineuitabilis est nullitas Decreti ex capite subreptionis cum insubsistens omninò sit, in Prouincia nullum Superiorem adesse, vel adfuisse; Semper enìm in Prouincia Magni Prioratus Capuæ, quæ componitur ex medietate Regni Neapolis, residere consueuit, vel ipse met Magnus Prior pro tempore, vel saltem eius Locumtenens,

Prætereà non minus releuans intrat reflexio, quod præmemo-

moratum Decretum loquitur dumtaxat de Monasterij Administratoribus ab extrà, non autèm de Priorissa, ad quam restricta est præsens inspectio iuxtà terminos propositi dubij, vt proindè etiàm hic recurrant ea, quæ superius adduxi circà Constitutionem Gregorianam, cui inhærere, & cum qua se conformare voluisse credi debet Sacræ Congregationis resolutio, adeoùt passiuam interpræstationem ab illa recipiat, *Card. Albit. discept. 2. quæst. 11. num. 11. apud Card. de Luc. de Iurisdic. Rot. decis. 157. num. 6. coram Coccin.*

Et denique exuberat huic Parti, antedictum Decretum effectuationem nunquàm fuisse sortitum, cum pro parte Reuerendissimi Episcopi nec etiàm semel rationes sibi aut Prædecessoribus suis, non solùm à Priorissa Monasterij, sed nec etiàm ab Exteris Officialibus redditas fuisse iustificari valeat; Ex quo manifestum redditur, nullam vim hodiè constitui posse in Decreto 38. ab hinc Annis emanato, quod nunquàm subsequenti tempore executum, & obseruatum fuit, adeò vt per talem non vsum, imò per positiuè contrarium vsum (dum in administratione bonorum Monasterij per Priorissas pro tempore facta semper priuatiuè se ingessit Magnus Prior Capuæ, vel ab eo deputatus absque vlla Episcoporum reclamatione) sublata remanserit qualiscumque prædicti Decreti efficacia ad quem effectum sufficeret contraria obseruantia per solos decem Annos, etiamsi illa esset præter Ius, *Card. de Luca de Benef. disc. 30. num. 16., & 17., & disc. 32. num. 8., Lauor. var. lucubr. tit. 2. cap. 17. num. 4., Amostaz. de Causis Pijs Lib. 6. cap. 6. num. 60. Rot. in Florentina Quartæ Funeralis 1. Decembris 1704. §. Secundo probato coram Reuerendissimo Domino Molines.*

XII. An præfatus Vicarius, seu Conseruator, & alij Ministri Inseruientes eidem Monasterio subsint Iurisdictioni Episcopi tamquam, vt supra Delegati in concernentibus Clausuram.

Ad Duodecium, & vltimum Dubium seriè animaduertendum est, illud pro parte Reuerendissimi Episcopi propositum fuisse, vt in omnibus actibus sibi Subditos, ab eiusque nutu, & arbitrio pendentes habere possit Vicarium Domini Magni Prioris, necnon Ministros, & Officiales Monasterij, quos omnes sub specioso prætextu materiæ concernentis Clausuram, processandi, ac puniendi paratam pro suo libitu opportunitatem habere exoptat; Cum tamèn certum sit, quod Vicarius quamquàm Clericus Sæcularis, tamèn in omnibus concernentibus exercitium sui Vicariatus plenam assequitur exemptionem à Iurisdictione Episcopi ad instar Conseruatoris Monasterij, qui in concernentibus exercitium Conseruatoriæ similem exemptionem sortitur, ad tradit per *Pignattell. consul. 25. num. 7. tom. 2.*

Card.

Card. de Luca de Iurisdic. disc.4. sub num.13., & Miscell. disc.1. num.68.

Sic etiàm habetur Regula, quod Superiores Monasterij Regularibus subiecti exclusi sunt à necessitate petendi Licentiam ab Ordinario pro accessu, & allocutione Monialium, nec non pro ingressu intrà Clausuram, iuxta plures resolutiones relat. per *Pignattell. consult.85. sub nu. 166. Pax. Iordan. variar. elucubr. tom.2. Lib.7.tit.12. nu.50., Mat. thæucc. in suo Official. Cur. Regul. Tom.1. Cap.5. num. 28. vers. Superiores, & num. seqq., Lantusc. Theatr. Regul. verb. Allocutio, Nicol. Floscul. verbo Monasterium numer. 15.*

His autèm omnibus quamquàm intrinseca Iuris assistentia validè subsistant fauore Domini Magni Prioris Capuæ Principalis, eiusque Vicarij, addi tamen exabundanti potest non minùs validum extrinsecum præsidium obseruantiæ vigentis in locis aliorum Prioratuum, intrà quorum limites similia Monasteria Monialium Ordinis Hierosolymitani existunt, prout signantèr in Ciuitate Florentina, ac in Ciuitate Pisana, in quibus gemina sita sunt Monasteria præfati Instituti comprӕhensa sub Prioratu Pisano, qui ab Eminentissimo Cardinali Medices obtinetur; Ibi enìm ab immemorabili obseruatum fuit, & continuò obseruatur, quod tàm in Spiritualibus, quàm in Temporalibus Regimen Monasteriorum resideat penès Magnum Priorem, eiusque Locumtenentem, absque eo, quod Archiepiscopi Florentinus, & Pisanus, tamquàm Sedis Apostolicæ Delegati in aliquo se intromittant, quam in concernentibus Clausuram, cuius custodiæ præsunt vna simùl cum Eminentissimo Magno Priore. Proptereà licentiæ pro accessu ad Crates Monialium, & pro ingressu intrà Clausuram cumulatiuè subscribuntur, tàm à prædictis Archiepiscopis, quàm à Magno Priore, siuè eius Locumtenente, Confessarius, & Concionator ab eodem Priore deputantur receptioni Puellarum in educationem admissioni Monialium ad Habitum, & Professionem, nec non electioni Priorissæ præsidet antedictus Prior, siue alter ab eo Deputatus, qui Monialium Suffragia priuatiuè exquirit, & electionem publicat, cum assistentia eius Cancellarij; Et denique ille statuit, agit, ac omnia absolutè disponit eo modo, quo solent Ordinarij in Monasterijs sibi subiectis, vt de his omnibus luculentissimè testantur idem Eminentissimus Cardinalis Medices, & Domini Eques del Bene eius Locumtenens *Summario Num.*1., 2., *&* 3., & probatur insupèr ex ipsis licentijs datis pro receptione Monialium

Sum-

*Summario Num.*4. præmiſſum autèm Teſtimonium, tùm ratione eximiæ præſtantiæ Teſtium, tùm etiàm quia de rebus ad proprium Officium attinentibus deponunt, nemo non videt, quàm ſuperlatiuum probationis gradum conſtituat *Rot. in Collonien. Canonicatus primæ Gratiæ* 2. *Maij* 1701. §. *Replicatio coram Reuerendiſſimo del Olmo*, *& in Cracouien. Canonicatus* 3. *Iulij* 1702. §. *Nec exceptiones in fine coràm R. P. D. Priolo*, *& in Comen. Canonicatus* 11. *Februarij* 1704. §. *hoc ipſum*, *&* §. *ſeq. coram R. P. D. Scotto*.

Et hæc praxis pacificè, & abſque vlla Ordinariorum contradictione ſemper in dictorum locis ſeruata, optimè deſervire poteſt pro regula, & norma, reſpectu etiàm huius Monaſterij, cum omnia ſint membra eiuſdem Ordinis, quę eumdem Fontem Regularis Iuriſdictionis recognoſcunt, nec in mentem cadere poſſit, aut tot Religioſiſſimos Priores quidquam ſibi vſurpare voluiſſe, quod ſibi debitum non eſſet, aut tot zelantiſſimos Antiſtites in præiudicium Epiſcopalis authoritatis quidquam remiſiſſe ex ijs, quæ ſibi de Iure competerent, quod ijs ſine Apoſtolico Beneplacito nullatenùs licitum fuiſſet ad notata per *Barboſ. de Poteſt. Epiſc. allegat.*89. *num.* 2., *& ſeqq. part.* 3., *Rota deciſ.*592. *num.*7. *coram Emerix Iun. cum concordan. ibidem relatis*.

Quare &c.

Auguſtinus Galaminus.

SACRA

CONGREGATIONE

Episcoporum, & Regularium

Emo, & Rmo D. Card.

SPERELLIO


Pennen. Iurisdictionis.

PRO

Ven. Monasterio, & RR. Monialibus S. Ioannis Pennen., seù Illustriss. D. Magno Priore Capuæ Sacræ Religionis Hyerosolimitanæ, eiusque Vicario

CONTRA

R. D. Procuratorem Fiscalem Curiæ Episcopalis Pennen.



Facti

Romæ, Typis Reu. Cam. Apost. 1707.
Superiorum permissu.